



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

III. Magnum & celeberrimum miraculum quod Laoduni in Veromanduis  
contigit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

mal & spiritus præclusus fuit. In his ille angustijs candelam forte videt ex vno pendente: eaque arrepta, bolum in faucibus hærentem detrudere conatur: sed concidens, torvis & in cælum fixis oculis, præfente qui interea accurrerat, illo ipso sacerdote, & multis hominibus inspectantibus, fuit præfocatus, omnibus diuinæ hoc iustitiæ exemplum admirantibus, & cantu quoque passim celebrantibus. En eadem Dei manus impiam & sacrilegam manum, quæ diabolica quadam imitatione (est enim diabolus Dei simia) diuinam illam, quæ in altari sit oblationem, repræsentare ausa fuit, puniuit.

Aliud exemplum ponit Bredembachius lib. VII. cap. LX. his verbis. Contigit prope ciuitatem Hardericum Catholicum quendam in die Cincrum agere in diuerso: inter hæreticos: qui quum ientaculum sumerent, & Catholicum inuitarent, vt cum ipsis ientaret, isque antiqua ieiunij religione ductus reaueret; illi hominem dicerijs & contumelijs exceperunt, d. citantes, si lacrum audisset, iam faciliorem fore ad ientandum & his similia. Dicitur factum: Vestigio quidam ex illis profiliens: Ego, inquit, operam hanc illi facile præstitero: arreptumque mensarium orbem, eleuauit in d. spectum tremendi sacrificij SS. Eucharistia. Sed mox in altum eleuata brachia obriguere, vt ad se reducere non posset, paulloque post in eodem loco exspirauit. Hæc à viris integerrimis & fide dignissimis, inquit Bredembachius, ad nos perlatæ sunt. Idem aliud diuinæ vltionis Anno MDLXXVIII in alium qui SS. Sacramentum iridem blasphemauerat, in Brabantia editum exemplum ponit. Sed & in Polonia & alibi passim eadem sacrilega impietas varijs pennis à Deo vindicata fuit, vt infra diceretur. Neque enim vnus loci duotaxat Deus est, aut vno loco impij egent correctione.

III. Quoniam vero Sacramentorum erroris confutandi studium etiam ad ea miracula quæ nostro tēpore acciderunt, nos deduxit; hoc loco non possum nō illud ponere quod meis ipse oculis vidi, & cuius beneficio à profundo hæreseos luto fui extractus. Et licet illud meo de Antichristo libro inseruerim; nihil tamen a prohibet quo minus idem quoque hoc loco alia veluti inducta forma, proponam. Miraculum hoc inter pauca celeberrimum, factum est Laoduni Anno MDLXVI. in iuuenula quadam. Veruini non procul Laoduno nata, Nicolaa Obryn nomine. Quamuis autē initio illa à pluribus diabolis obsessa fuerit, omnes tamen

ante meum & sociorum qui comitati me fuerant, aduentum ab ea expulsi fuerant, præter eorum Principem Beelzebub. Misera hæc & infortunata fæmina, infinita spectante hominum multitudine in templum deducta, tam miseris modis à diabolo habitata ac tortafuit, vt ossium fragor ac dentium stridor audiretur, torumque eius corpus nullam fere humanam speciem præ se ferret. Inflabatur ei venter ad instar dolij, ingluuiem ita aperiebat vt stomachi fundus à prope adstantibus posset inspicere, linguam pedis longitudine exferebat, oculisque crassis & rutilantibus ita scintillabat vt eius ad spectum vix quisquam ferre posset: tumque ita se in aerem efferebat, vt a duodecim aut quindecim hominibus non posset retineri. Laodunensi Episcopo super caput eius hostiam tenente, & iisdem quibus S. Bernardus (a) olim in simili calu vsus legitur, armis malignum spiritum oppugnante, ac dicente: *Ecce, o infelix spiritus, iudicem tuum ecce cælorum virtutem; resiste si potes, et qui dixit: Nunq. Princeps huius Mundi eijcitur foras. Hoc corpus est, natum ex Maria Virgine, quod in arbove Crucis expansum fuit, quod in sepulcro quiescit, & resuscitatum, in cælos ascendit. Aduro te in virtute cælestis huius maris, ut ex eius ancilla corpore egrediaris.* His, inquam, & similibus exorcismis Episcopo malignum spiritum oppugnante, demoniaci illa horrendum in modum se eleuabat & auctis à S. hostia oculis, mille blasphemias euomebat. Deinde defixis in templi fornicem truculentis & minacibus oculis, ventum tamquā fumū ex ore & naribus emittebat. Tū tremens ac pauens, cōcidebat, & magna totius corporis deformitate, velut erinaceus in se cōuoluebatur. Quū rogaretur vero, cur ad S. hostiæ cōspectū tanto horrore corripere, diabolus respondit, ob illud, *Hoc est, Hoc est;* vim Sacramentaliū horum verborum, *Hoc est corpus meum*, eo inueniens.

Omitto multa stuporis plena verba, per diabolū ex ore huius demoniacæ prolata. Tandem victus præfentia sacratissimi Iesu Christi corporis Beelzebub ex hospicio suo discessit, edito prius velut ingenti fumo, quæ horribiles fragores seu tonitrua insequuta sunt, adeo vt totum templum vnā cum adiunctis turribus insonuerit, cum magno omniū adstantium stupore. Est sane miraculum hoc maximè ac celeberrimis quæ vnquam visa sunt, annumerandum, quod nec ipsi diaboli suppressere aut obscurate potuerunt; de quo etiam prærei dignitate numquam satis dici potest. Sed ne longius

gius à proposito digrediat, finem hic facio. Quid in Polonia factum sit, alio loco videbis. Paganus Philosophi ex miraculis communem Naturæ ordinem supergressis, Naturæ rectorem omnium rerum effectorem cognouerunt quodammodo & admirati sunt: at illi qui à Deo omnipotenti se missos gloriantur, interim vero nihil, nisi quod vident, credere voluat, Dei in his verbis, ex Dei ipsius ore prolatis, *Hoc est corpus meum*, omnipotentiam agnoscere non possunt aut non volunt; atque ita Deum non pro creatore & domino, sed pro ministro Naturæ habent: quum tamen illis, teste S. Hilario, Saluator noster Iesus Christus omnem de veritate corporis & sanguinis sui dubitandi occasionem nobis eripere voluerit.

IV. Verum enimvero, vt in tam graui re, in qua omnis præsentium controuersiarum cardo vertitur, Lectorem antidoto quodam contra hæreticorum virus muniam, paucis præcipua eorum argumenta confutabo. Aiunt, *Annon Christus apud Ioannem sapius dicit, se Mundum relinquere, neq; discipulos quum amplius ante extremi diem iudicii visuros? Et in Actis, Angelus discipulus testatur, sic venturum in terram quem admodum eum viderint euntem in caelum. Et S. Petrus dicit, Caelis eum contineri, donec venturus inde sit ad restaurationem omnium rerum quæ prædicta sunt. Ad dunt: Annon sedet ille iam ad dexteram Dei patris in caelis, unde venturus est iudicare vivos & mortuos? Quomodo ergo eodem tempore in Eucharistia, & quidem tam diuersis locis esse possit? Id quidem nulla ratione fieri potest, inquit Sacramentarij. Sed cæci non animaduertunt, hoc modo Christum ab ijs caelo affigi non aliter quam à ludæis olim cruci fuit affixus: quasi eius in paradiso quietes, vtpote certa sede & loco cõclusi, pœna potius sit, quam gloria. Sed facile potest intelligi, quanta sit differentia inter hanc eius corporalem & inuisibilem sub speciebus visibilibus præsentiam, & vltimam illam ac visibilem quæ plena erit cœlestis gloriæ ac maiestatis, quando scilicet ab ipsa morte rationem reposcet, & totum Mundum ad tribunal suum euocabit. Ascendit ad caelos, id est, parem cum Patre potestatem accipit. Dextra vero Dei, vt S. Augustinus inquit, suprema est eius beatitudo. Mundum reliquit, non tam vt nos relinqueret. Quin e contrario alibi dicit, *Et ego vobiscum sum vsq; ad consummationem sæculi* (a) Alio modo hic in terris est, alio in caelis. Quin ipse Sacramentariorum Patriarcha (b) ait: non esse in caelo locum aliquem certum fingendum aut imaginandum, in quem humana Christi natura ascenderit aut recepta sit.*

Aiunt præterea, *Corpus nullum sine dimensionibus, neque etiam eodem tempore pluribus in locis esse posse.* O subriles Philosophos, qui infinitam Dei maiestatem & potentiam Physicis axiomatis, id est, Naturæ alligant & subiiciunt! Atqui, inquit, Aristotelicum hoc principium plane est immotum & irrefragabile: *ἄν τὰ μὲν ἐν τότῳ*, *Omne corpus in loco est.*

Quin illi Lutherum potius audiunt, rectius de hac ipsa re iudicantem, & dicentem, (c) Aristotelem eiusmodi mysteria, quæ nequaquam ad Naturæ leges examinanda sunt, nullo modo percipere aut intelligere potuisse: & loquente Theologia, Philosophiæ tacendum esse. Contra ac præter omnem Naturæ ordinem ac Physicæ axiomata ab admirabili illo architecto omnia ex nihilo facta sunt; contra eadem axiomata tres personæ eadem comprehenduntur substantiæ; contra Naturam Virgo peperit; contra Naturam humanum corpus saxum & inanis clausis pertransijt, & caelo receptum, nullum tam certum occupat locum. Subsiste hic tu, miser Philosopho; & perpetuo silentio doctam tuam ignorantiam testare, quando de Dei operibus sermo est: tu vero quisquis es qui diuinam potentiam Naturæ cæcellis audes includere, æternam gehennam tuæ huic audaci curiositati præparatam esse scito. Recte Cyrillus Alexandrinus maxima quauis supplicia & tormenta eos manere, dicit, qui Dei cauillantes opera, illud quarunt. *An & quomodo hoc vel illud fieri possit: (d) quum Dei voluntas, vt Clemens Alexandrinus testatur, ad omnia operanda sufficiat.* Est hæc infallibilis consequentia: Potest Deus quidquid vult. At hoc vult, si quidem apertis verbis id dixit is qui ipsa est veritas. Quare nec de voluntate nec de potentia eius vlllo modo est dubitandum, quamuis impossibilitatis quædam species animo nostro & oculis se se obijciat. Quin illa certa apud Christianos Maxima, siue Regula esse debet, eo ipso, quod parum credibile aliquid sit, credendum esse, si autoritas diuina accedat.

V. Qui Sacramentariorum hæc edictos libros perlegerit, animaduertet nihil magis ab ipsis oppugnari quam Dei omnipotentiam, & quidem eiusmodi verbis, quæ vix ipsi diaboli ausu pronunciare: (e) eorumque fidei fundamentum in eo

vno  
a Matth. 28. b Calu in Mar cap. 16. & 19.

c Bened. Talman. in affect. pag. 97. d Vid. S. August. lib. 21. de Ciuit. e Martyr. in dial. contra Brent. Danaus in Elench. Hæret. pag. 167. Beza passum.